Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 945

Quelle:
Copyright:



Libros, ut in fine XXVIII. pro XX. exeant. Advertit id Librarium; cum enim jam ſubjeciſſet rubricam: *Explicit Iſiodorus continens in ſe viginti octo libros. Sub anno. D. M° CCCC° XII°.* τὸ *octo* rurſus delevit, niſi dicas, id factum ab alio. *Bohemum* hominem fuiſſe docent non ſemel adjecta quaedam illius gentis lingua. Ita *fol.* 77. L. IX. c. 7. ubi de *Materteris* agitur, legas: *Ach awech ma myla kaſſy mye.* Schemata curate adpicta ſunt. Lectio de melioribus eſt, ſaepius etiam ſecundae manus, ſed Vocabula graeca paſſim jugulata.

## CCCCX.

U. 54 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 149. f. bene exaratus, rubricis diſtinctus, et ab incomparabili *Joh. Fabro* Antiſtite noſtro, ut notum illius Προγραμμα typis expreſſum in fronte docet, a. 1540. Collegio ſuo ad S. *Nicolaum* in uſum Juventutis ſcholaſticae legatus ſequentia continet: I. praemiſſo quodam Fragmento homiletico in *Geneſ.* III. a v. 21. incipit p. 2. *Expoſitio cuiusdam de operibus ſex dierum.* Ita quidem: *De principio libri geneſis in quo mundi hujus creacio deſcripta eſt multi multa dixere.* Τὸ *cuiusdam* fortaſſis inde eſt, quod jam olim de Autore hujus Expoſitionis ambigeretur, aliis in *Junilium* Sec. VI. in *Africa* Epiſcopum, aliis in *Bedam* inclinantibus, cujus reipſa eſt et legitur edit. *Colon. Opp.* T. IV. 1688. p. 1. f. Codici noſtro probe reſpondens, niſi, quod hic Inſcriptionem: *Dilectiſſimo ac Reuerendiſſimo Abbati Accae* &c. cui Ἐξαημερον iſtud dicat *Beda*, omittat.

II. *fol.* 17. *Super geneſim.* Atque iſtud quidem calamo recentiore ſuper locum eraſum. Praeoccupanda ergo vera Operis Inſcriptio, prout habetur *fol.* 113. *Incipit Explanacio Quam Fecit Viuchbodo Presbiter Domini Caroli Imperatoris ex libris ſanctorum patrum id eſt Hieronimi. Auguſtini. Ambroſii. Hilarii. Eucherii. Gregorii. Iſidori. Junilii. Bede.* Pauca, quae de hoc *Wichbodone, Wicbodo, Wigbaldo* ad nos pervenere, conjecturis nituntur. Detexere DD. *Martenius* et *Durandus* in S. *Maximini Trevir.* Coenobio Codicem ejus *Quaeſtionum in Octateuchum*, videlicet in 5. *Libb. Moſis, Joſue, Judicum* et *Ruth*, praenotatum: *Carolus Rex Francorum et Langobardorum ac Patricius Romanorum hunc Codicem ad opus ſuum ſcribere juſſit*, et triplici Poematio praevio munitum; cum autem viderent, *Quaeſtiones* has meris PP. ſupra citatorum ſententiis, dictisque conſtare, non niſi eas, quae ſunt in prima III. *Geneſeos* Capita, inſeruere T. IX. *Collect.* ſuae *Ampliſſ. Vett. Scriptt. Pariſ.* 1733. f. ad p. 293. praemiſſis illis Poematiis, e quibus praeter *Caroli* laudes, nomenque *Vuigbodi* nihil ad hiſtoriam eruas, ne fundamentum quidem, quo nixi Autores *Hiſtoriae liter. Franciae* T. I. p. 177. de *Presbytero* noſtro ſcriberent: *Il y avoit plus d'un ſiecle, qu'on ne voioit*